135.



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ, Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Veneris quarto mensis Januarii, anno Domini M. DCC. XLIII.

M. JULIANO BUSSON, Doctore Medico, Præside.

An ab origine Monstra?

I



UÆ in exequendis operibus certis atque constantibus alligata videtur legibus natura, ab ipsis perrarò quasi recedens, stupefactis hominibus miranda portenta subministrat. Hæc & si tùm in iis quæ ab imis terræ visceribus extrahuntur, tùm in vegetantibus nonnunquàm cernere datur, multò vividioribus tamen oculis in animantibus lustrantur. Quæ in hocce posteriori regno contrà naturam fiunt aut apparent expendere nobis animus est. Omne animal eâ partium conformatione & dispositione donatum quæ discrepet quàm maximè ab illâ quæ ipsius speciei individuis propria est monstrum habeatur. Hinc sub uno genere multiplicis speciei intelliguntur, quatenùs aut per additionem aut per substractionem, figuram situmve partium monstra constituuntur. Monstra quæ passim obvia habuêre graphicè quidem delinearunt antiquiores, ast in eorum assignandis causis, quàm longè à vero aberrarunt! Testimonium præstant quotquot de ipsorum origine finxêre hypotheses seu potius commenta. Naturam errasse perperàm clamitant; sed natura

Deus est quem erroris insimulare nefas. Neque ipsos tantoperè à veritate dissitos tunc temporis quo veluti velo scientiæ obtegebantur, mirabitur quisquis re accuratiùs perpensâ dignoscet vix aliam esse in physicis quæstionem quæ æquè ambagibus intricata, difficultatibus undique referta sit ac illa quæ impræsentiarum est. Evanuêre veterum deliramenta: duplici methodo mysterium formationis monstrorum explanare aggressi sunt physici recentiores. Prioris si sis assecla, monstra talia esse ab origine, ab ovo, fateberis; alteri si obtemperes primordialia esse monstra nequaquàm existimabis, sed à causis fortuitò & ex accidenti concurrentibus talia facta fuisse opinio tibi erit indelebilis.

II.

DUPLICIS atque diversæ penitùs indolis ova distinguenda esse, quorum alia animal consuetæ ordinatæque partium evolutioni aptum natum continerent, alia verò inordinatæ atquè portentosæ; utraque verò ab ipso summo conditore hìc illìc sparsa, plurimis visum & ratum est, indeque tanquàm è genuino fonte hauriendam esse vel & stupendorum magis, quæ in generatione animalium apparent phœnomenωn enodationem. Neque desunt quibus sententiam fulcire atquè stabilire nitantur rationum momenta; vel etenim in ovo tales quales in posterum in monstro spectabiles aderunt jam continentur partes, vel fortuita & occasionalis causa, quæcumque sit, evolutionem partium præpediens, monstrum ex accidenti procreat. Ast plurimis in individuis cultro anatomico subjectis & avidis oculis attentoque animo perpensis, causa hæc non modò non apparuit, sed ne quidem levissimis sui vestigiis conjecta est: à tegumentis ad penetralia intelligentiam finem liberè, media sapienter eligentem, omnipotenter opus quod libuerit perficientem universa prædicarunt: nihil casum, nihil fortunam commonstrat, imò potiùs ubiquè adoranda se prodit summi opificis ubertas eò mirabilior, quòd à vulgatioribus viis declinans, divitias suas luculentiùs comprobet. Adde infaustos pluries conatus ut portentosæ seu membrorum conjunctionis seu separationis, additionis, substractionisve Mechanismus erueretur, atque firmiùs adhuc evincetur monstra talia fuisse vel ab ovo. Verùm si monstrorum efformationem à causis quæ ex accidenti in obvia quæque agere possunt desumendo, expositio indè nascatur supremi artificis Jura æquè quin & plùs servans, rationi consentanea magis, mechanismum operis nudis oculis aliquandò ex omni parte patefaciens, fundata in analogia, adversariorum opinionis fundamenmenta evertens, Physices legibus consona & accommodata, palmam sanè facilem hæc referet: ipsam autem pretiosis hisce insignibus nobilitari planum fiet ex sequentibus.

III.

SIC à naturâ fabrefactum est illud organum, in quo animantium fœtus incarcerantur, ut mirificè causarum fortuitò impulsarum impressiones suscipere valeat, citissimè ad contenta transferre. Ejus sunt indolis priora fœtuum rudimenta ut flexilia admodùm uniuscujusque configurationis videantur capacia. Nullum eorum latet prior veritas quibus compages & structura uteri nota sunt: nervis habitâ ratione molis, maximis & multiplicibus donatus, fibris instructus muscularibus, in affectibus Hystericis, animi pathematis violentioribus succutitur, contrahitur, convellitur. In ipsius cavo fœtûs partes evolvuntur, ampliantur, nutriuntur, usquedùm carceris impatiens, superatis obicibus, fiat lucis particeps. Jam verò germina duo, prolifico semine fœcundata, ad uterum pervenisse demus; quâ proportione ipsorum evolvuntur stamina, extenditur & ipsemet. Si convelli aut à quâcumque causâ itâ disponi supponamus, ut ipsius latera, ad intimiorem contactum accedendo, cavum arctent magis, contenta comprimant plus quàm tunc ex instituto naturæ fieri deberet, quid evenire arbitraris? Mollia fœtuum rudimenta, coalitioni aptissima, con-

jungentur variè pro vario respectivo situ, pro vario compressionis gradu: si levior sit, externas tantùm partes adunabit, si validior, ad penetralia usquè vim suam exerere aliquandò potis erit; quot indè destructiones, deformationes, mirandæ translationes, conjunctiones partium intelliguntur enasci eò faciliùs, quòd tunc temporis, quasi colliquescentes, levissimo impetui cedere cogantur. Et sanè quisquis bonâ fide relationem causarum cum effectibus iis, sæpè nimis agendi ipsis occasionem oblatam perpendet mirabitur forsan magis quòd non sæpiùs monstra appareant, quàm quòd aliquando oculis subjiciantur. Absit ergò ut in Deum opt. max. immediatam monstrorum productionem refundamus: generalibus opera sua regulis subdidit, è quibus, velut è fœcundo sinu, quidquid singulare ac mirandum in animalium fabricâ accidit, depromere debemus.

I V.

ILLIUS quam mox summatim efformationis Monstrorum Theoriæ proponebamus veritatem specialiùs indagemus atque perscrutemur. Quanquàm non ubiquè, non semper in intimis recessibus oculum digitumque ducat, naturæ agendi modos & secreta ex omni puncto non revelet, non tam ab ipsius quàm à nostrâ tenuitate repetendum erit illud incommodum. Hâc Theoriâ duce causarum accidentalium in compingendis monstrorum partibus concursum quandoquè nitidè introspiciemus, aliàs ipsarum vestigia adhuc subodorare dabitur. Egregiè quidem pro ipsâ militat quæ in plantis quotidiana experientia observat: ibi duo fructus eodem pediculo fulciti, ibi ejusdem arboris duo rami toto tractu adunati, intimiùsque se se penetrantes, ibi peregrinus ramex hospiti trunco implantatus, communi vitâ cum ipso vegetans offeruntur. Nonne pressu juncti fructus & rami vasa, fibras, & trachæas sociando, mutuum commercium iniêre? Si in compactis ligni partibus talis societas instituì potest, numquidne compressio in mollibus tenerisque embryonum corpusculis stupendas compagines longè faciliùs adaptare valebit. Duriores jamque solidescentes corporis humani partes mirandis adhuc visæ sunt obnoxiæ mutationibus: puer quatuor annorum natus *Hydrocephalo* laborat; ossa parietalia & occipitale futuris jamjam unita, sejunctionem ne minimam quidem sinebant: accrevêre ad molem grandioris adolescentis. Post mortem cerebrum in giris contortum non apparuit: figuram planam sphericam affectabat ipsius substantia corticalis cui parili modo & ordine substrata erat medullaris. Ventriculorum parietes eo à se distabant intervallo quod ad minùs aquæ uncias octo contineret; liquido constat quod à sola compressione factâ à fluido in ventriculis stagnante orta sint & singularis hæc cerebri evolutio & portentosa ipsius fornicis accretio: quid mirum igitur si in tenellulo embryone stupendas partium explicationes efficere valeat. Descriptionem monstri quod duo fœtus constituebant in omnibus ritè ordinati, atque distincti, excepto fronte quo mediante jungebantur, memoriæ tradidit *Paræus*: vel primo intuitu perspicuum est ad compressionem solummodò à quâcumque causâ devenerit, delegandam esse hujus concretionis originem; fatentur & primordiorum monstrorum defensores. Brevi lis terminaretur si pari negotio omnium ac istius monstrorum conformationis mechanismus exponeretur: ast plurima sunt in quibus, generales etsi causas denotare valeamus, in particularibus tamen assignandis, ipsarum actionibus eruendis, hæremus anxii: indè objectionum series, veriùs unica objectio tot formas præ se ferens quot inextricabiles casus enarrantur.

V.

SI ab actione, inquiunt, harumce causarum quas infausta fortuna movet, quæque cæco impetu feruntur, eruenda foret monstrorum origo, ipsarum agendi methodus oculos sedulò, doctè, attentè inquirentes, non fugeret: fatendum quòd etsi quandòque mirandæ compaginis mechanismum reteget hæc inquisitio, sæpiùs ta-

mèn felicem exitum non reportet ; obſcurioribus involuta tenebris portentoſa fabrica, ab accidentium hypotheſi enodari ſe non ſinens, rem à principiis, ab ovo eſſe repetendam firmitèr aſtruit. Quibus tale arridet ratiocinium de ſuâ in inquirendo ſagacitate modeſtè ſatis ſentire non videntur. Ergone ipſis abſtruſiora arcana pandere debuit natura ? Si diſtinctè, nitidè & evidentèr mechanicas rationes monſtrorum efformationis à cauſis accidentalibus deducere non valeant, ergone idcircò exulandæ ſunt hæ cauſæ ? Quotiès innoteſcit cauſa, innoteſcit effectus, & inter utraque concentus craſſiori velo obtegitur ! intermittentes febres Kinakina fugat, vomitum Antimonii regulina pars promovet, adhuc in profundo jacet illorum effectuum mechanica actio. Cauſarum accidentalium ipſimet imperium confitentur, ubi ipſas in agendo pedetentìm ſubſequì poſſunt : ſed ſi illarum actio lucem refugiat captumque noſtrum exſuperet ergone aliud ex origine aliud ex accidenti portentoſum numerabis ? Nequaquàm ; uniformi greſſu procedit natura, cujus ſi non ſempèr inſiſtere veſtigiis valeas, curioſiùs intendè, diligentiùs inquire ; ſi adhuc incaſſùm, humanam fatearis tenuitatem. Verùm non unica ſed plures ſimùl partes plures circumſtantiæ debent trutinari, ut facilior indè fiat ad genuinam mirabilis concretionis originem aſcenſus : hoc quanquàm examen ſpecialem & concinnatam accidentium non ſempèr actionem, ſummariam tamèn atquè ſufficientem indigitabit. Veritatem agnoſcet certiùs quiſquis effectuum cum causâ proportionem perpendet ; in monſtris quid ſtupens contemplaris membrorum confuſiones, deordinationes, tranſlationes, uniones nocivas, functionum vitæ ſanitati, ſpeciei propagationi neceſſariarum abolitiones, depravationes ? Numquid ſummè ſapientis, ſummè potentis artificis adeò ridicula adeò manca opera digna forent ? Cauſarum accidentalium caractère obſignantur, quæ ordinis & conſilii neſciæ, in obvia quæque cæco modo agunt.

Non ergò ab origine monſtra.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Theodorus Baron.

M. Andræas Cantwel, è Regiâ Scientiarum Societate Londinenſi.

M Benjamin Ludovicus Lucas de Laurembert.

M. Leander Peaget.

M. Ludovicus - Alexander Vieillard, Pharmaciæ Profeſſor deſignatus.

M. Ludovicus Guillelmus le Monnier.

M. Joannes-Baptiſta du Bois, Profeſſor Regius.

M. Guillelmus - Joſephus de l'Epine.

M. Ludovicus - Hyeronimus Coſnier, Rei herbariæ Profeſſor.

Proponebat Pariſiis, PETRUS - ISAAC POISSONNIER, Divionæus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1743. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1743.